


SEBASTIANI MONTICVLI VINCENTINI

J. C. COMMENTARIUS NON INVUTILIS
In Tres Titulos Institutionum, De Rerum diuisione .
De Rebus corporalibus , & Incorporalibus .
& , De Actionibus .

ADIECTA SVNT SVMMARIA SINGVLIS
Paragraphis . Index prætereà Alphabeticus Rerum omnium
& Vocabulorum Memorabilium .

Cum licentia R. P. Inquisitoris:



Bibl^a
Num. 46. cap. 8.

Num. . 24. .

PATAVII,
Apud Marcum Antonium Vlmum.

M D L X X.



COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM

PERILLVSTRI, ATQVE EXCELSO

VIRO ALOISIO MOCENICO, SENATORI

Integerrimo, Equiti Splendidissimo, Procuratori Diui

Marci Prouidentissimo, Patrono suo, ac

Mecanati optimo.

SEBASTIANVS MONTICVLVS VINCENTINVS.

I. C. S. P. D.



VLT A sanè sunt, quæ homi-
ni à D. O. M. tributa sunt
beneficia, Vox, Sensus, Va-
letudo, Amicitia, Fœdera,
Coniunctiones, Rerum om-
nium ubertas, libertas de-
niq; viuendi ut quisq; uelit:

Nullum uerò maius beneficium inueniri, aut excogi-
tari potest quàm quòd homo Æthereis igniculis, ra-
tioneq; diuinitus infusa præditus est, qua una, etiam
dùm in hoc corporis Theatro inclusus est, quàm pro-
ximè ad Deum accedit, Æquum ab iniquo, Bonũ
à malo discernit, atq; omnia quæ circum Mortalium
aspicit oculus, suo arbitrio disponit, & moderatur.
Horum beneficiorum qui immemor, cõtempторq; est,
næ ille parũ sapit, & à communi cœtu, consortioq;
protinus est expellendus, ut potè indignus, quem
aliij diligant, aut promereantur, etiam prædibus,
prædiisq; datis mutandi mores, & conditionem. Con

INSTITVTIONVM D. IVSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS LIBER II,

TITVLVS PRIMVS

De Rerum diuisione, & de acquirendo ipsarum dominio.

CVM COMMENTARIO MONTICVLL

- 1 Res in omni contractu, & ultima voluntate, & iudicio interuenit.
- 2 Testamentum non facit qui non habet in bonis.
- 3 Actio inanis est, si nihil creditor percipit.
- 4 Meum & tuum non erat de iure naturali.
- 5 Alius alium antecellere studet.
- 6 Imperator licet dominus sit totius terrarum orbis, tamen res possidet priuati patrimonij.
- 7 Patrimonia appellatio comprehendit res omnes, quæ sunt in bonis nostris.
- 8 Res communes usui vniuersarum, publicæ soli usui Ciuium Romanorum deseruiunt.

SV periore libro de iure personarum exposuimus, Modò uideamus de rebus, quæ uel in nostro patrimonio, uel extra patrimonium nostrum habentur. Quædam enim naturali iure communia sunt omnium, quædam publica, quædam uniuersitatis, quædam nullius, pleraq; singulorum, quæ ex uarijs causis cuiq; acquiruntur, sicut ex subiectis apparebit.

SV periore libro fuit expositum de personis; Nunc de rebus uidendum est. Nullus enim contractus, nulla ultima uoluntas, nullumq; iudicium fieri potest, nisi res aliqua interueniat. De contractu patet, quia unusquisq; lucri sui causa contrahit, utq; rem aliquam de nouo nanciscatur, seu acquirat l. Actionum. §. Ex contractu. ff. de actionibus, & obligationibus. De ultima uoluntate constat, quia qui nihil prorsus habet, neq; habiturus est in bonis, testamentum facere non potest authentica ingressi. C. de sacrosanctis Ecclesijs. De iudicio probatur, quia ipse cum creditor frustra ageret, & experiretur nisi rem aliquam esset percepturus. Indè vulgatum illud. Inanis est actio, quam debitoris excludit inopia. l. Nam is. ff. de dolo. Porro summa rerum diuisio hic traditur per Iustinianum. Omnes res aut in patrimonio nostro sunt,